Lucubratiuncula Poetica

De Moribus rite Inſtituendis.

Ubi etiam Decalogus, Precatio Dominica, & Symbolum Apoſtolorum.

In uſum puerorum, ut tenellæ ipſorum mentes pietatis & virtutis ſapore quamprimum imbuantur, [Eccl. 12. 1. *Memento Creatoris tui, in diebus juventutis tuæ.*

Horat. Lib. 1. *Epiſt.* 2.
Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem Teſta diu.

Ab Anonymo Argumentum.

Inſere quamprimum *Pietatis* ſemenin ima
Corda, ut eo citius, clara, ſuperna, colas.
Inſtanterq; viam *virtutis* carpe probatam
Cujus ſunt *Comites*, gratia, nomen, opes.
Jugiter illicitos inſultus interiores
Cordicitus cunctos corripe, confiicito.

Edinburgi, Excudebant Hæredes *Andreæ Anderſon*, Regis, Civitatis & Academiæ Typographi, *Anno Dom.* 1700.

Lucubratiuncula Poetica de Moribus.

Apologia pro Verſuum Stylo Plano.

NOn *Calamiſtratos* ſtudeo conflare *cothurnos*,
Seſquipedalia nec verba tonare placet:
At *plano* invenies *decoratos* ſemper *amictu*
Planiùs ut poſſint, pleniùs atque capi.

1. *Fœlix ſapientia ſuperna curare.*

Mi puer hi verſus ſint altâ mente repôſti
Ut tua tincta fiet mens *pietate* citò
Is *ſapit* & *fœlix*, qui ſurſum lumina vertit
Proſequitur viſum, viſaque corde cupit.

2. *Baptiſmatis vota reminiſcenda.*

Eſto memor te olim *Sacro Baptiſmate* tinctum,
Ac exin vinctum, juſſa Patrare *Dei*,
Carnis & inſultus *mundi Satanæque* doloſas
Perturbare Strophas: hoc opus, hic labor eſt

3 *Chriſtianum decet Chriſtum imitari.*

Diſcipulum *Chriſti* decet illius icona ferre
Qui numeris cunctis, ſanctus & æquus erat,
Manſuetus, verax, humilis, placabilis uſque,
Innocuus, ſpecie candidus abſque doli.

4. *Verbum Dei legendum, & agendum.*

Biblia Sacra lege aſſiduè, dein *lecta* reconde
Pectoris in fundo. & mente revolve piâ.
Legis ad exemplar vitæ compone tenorem
Notitiam & praxin conſociare ſtude.

5 *Dei Cultus publicus frequentandus.*

Publica Templa pete, & divina *oracla* paratis
Auribus exaudi, dictaque rite nota:
Mundanos, animique vagos, procul excute motus,
Nam fructum perimunt, hoc age, Numen adeſt.

6. *Sabbatum religioſè ſanctificandum.*

Sabbata Sancta Dei penitus celebrare memento
Officiis Sacris, mente manuque piâ
Dicta Cave non digna Deo, *praxeſque* profanas
Deliciæ tibi ſint, Biblia, Lauſque, preces.

7. *Preces Deo quotidie fundendæ.*

Manè preces effunde *Deo* quumque *Heſperus* altè
Emicat, ac *omni*, ſic age, rite *die*,

Utque

Utque tibi eveniunt geſtæ res, eſto paratus
Taliter ore preces, *Cordeque* ferre novas.

8. *Deus in omnibus Laudandus.*

Pange Deo laudes, pangant præcordia, pangant
Summâ quâ arte valent, Muſa, labella, lyra:
Nam quodcunque potes, quod habes, nomenq; decuſque
Paxque, ſalus, & opes, ſunt *bona dona Dei.*

9. *Parentes Honorandi.*

Moriger eſto piis monitis, Juſſiſque *Parentum*
Sint in honore tibi, ſin inopes, fer opem,
Pagina ſacra jubet, *Lux* connatalis & urget,
Promittitque Deus multiplicare dies.

10. *Nec vanè Jurandum, nec Pejerandum.*

Nauci ergo vanum, *falſò jurare* ſceleſtum
Non malè proſcindes Nomina Sacra *Dei*,
Si prætextu ullo fors *perjuraveris*, *Ultor*
Puniet ipſe *Deus*, te miſerum miſere.

11. *Nec joco nec ſeriò mentiendum.*

Peſſimus eſt *mendax* hominum, Satanæque ſodalis
Veridicique iræ meta parata Dei.
Contra quod nôſti ſimulatè, nulla profunde
Verbula, neve Joco, nec graviore *tono*.

12. *Luxuria vitanda.*

Nectare & *Ambroſiâ*, quamvis tua *menſa* referta
Cultrum pone *gulæ*, ne nimium capias,
Ebrius atque *Gulo*, brutis animantibus aptè
Æquiparandi ſunt, nil niſi *farta* ſtudent.

13 *Obſcæna loquela cavenda.*

Obſcænas voces nunquam proferto, ſalubris
Sermo ſit & purus, gratus, & uſque gravis
Fœtida dicta aures offendent nempe bonorum,
Et ſunt multigeni jugis origo mali.

14. *Veneris fugienda libido.*

Sit procul à votis *veneris* ſcabioſa voluptas,
Qui tentat, ſibi fert, vulnera, damna, necem;
Spurcos & rapidos hos mox extingue Calores
Corpore ut in caſto, *mens* quoque caſta ſiet.

15. *Furta fugienda*

Mandati eſto memor, nunquam *furabere*, furta
Furibus à ſociis ſæpe retecta patent
Tunc *infamis* eris, tetro quoque *ſtigmate* inuſtus,
Forſitan & *finis*, [riteque] *funis* erit.

16. *Reſipiſcentia indies agenda.*

Culpas multiplicas omni proh tempore grandes
Queîs coram Domino, fœdus es atque reus,
Errorum mœrore pio *reſipiſce*, peracta
Crimina *faſtidi*, & cuncta *relinque* modo.

17. *Conſortium pravorum reſpuendum. proborum eligendum.*

Sperne *ſodalitium* pravum, vitiiſque notatos
Reſpue, leproſâ nam *ſcabie* ferient:
Elige pro *ſociis* claros virtute, proboſque,
Exin clarus eris, carus & uſque bonis.

18. *Amicitiæ cautè ineunda.*

In conſcribendis, ne ſis incautus, *amicis*,
Rara avis in terris, certus *amicus* amans,
Fœdus *Amicitiæ*, cum conſultò pepigiſti
Ut quid *ſacratum*, rite, pièque cole.

19. *Nemo convitiis afficiendus.*

Opprobriis ſocii nunquam pete nomen honeſtum
Livida ne *ſcurræ* ſit tibi parta nota
Sæpe ſit eventu juſto, qui carpere *ſannis*
Sunt alios ſoliti ac arte perire ſuâ.

20. *Tempus labile & irrevocabile.*

Hora brevis velut umbra vagans agitata per auras
Aufugit, utque levis *bullula* tacta manu.
At quum *exacta* ſemel, nunquam *revocabilis*, ergo
Puncto *nunc* quod habes, utere rite, probè.

21. *Nulla dies ſine linea.*

Nulla dies pereat ſine linea, inaniter horam
Non unam perdes. hoc age, *doctus* eris.
Aut *nunc*, aut *nunquam*, floret dum firma *juventus*
Cana dies properat debilitaſque gravis.

22. *Doctrina ad omnia utilis.*

Doctior eſſe ſtude, bene *doctus* ad omnia promptus,
Doctrinæ merces, gratia, nomen, opes;
Qui ſine *doctrina* eſt, hominis deforme cadaver
Præ ſe fert graphicè, quum moritur *nihil eſt.*

23. *Pietas ad omnia perutilis.*

Sanctior eſſe ſtude, *ſanctorum* libera merces
Pax, honor, alma dies, gloria, palma, *Deus.*
Qui pietate caret, *Stygium* trudetur in *Orcum*
Semper ubi vivunt, morſque, truceſque cruces.

24. *Fama vulgi volatilis, non reſpicienda.*

Id velut *Aura levi* laus vulgi, temporis uno
Puncto, altè tollunt, dejiciunt *alio*,

Rare

Rarè *judicio* certo, raròi *rationi*
Ducuntur, mens aſt *hinc* rotat *inde* vagans.

25. *Sint mores omnino probi.*

Moribus eſto pius, prudens, affabilis, æquus,
Urbanuſque, humilis, ſuavis, & uſque gravis;
Protinus & vigila, ne tu ſis garrulus, audax,
Effrons, moroſus, turbidus, aut tumidus.

26. *Vitæ infortunia ſunt patienter ferenda.*

Qualiacunque *Deo viſum* tibi cudere *damna*,
Sufferto placidè, *murmura* rauca cave.
Nam ſine divina cura nil accidit unquam,
Læta dat, & repetit, mittit & *Arcta Deus*.

27. *Virtus vera Nobilitas.*

Quid ſtrepitas *proavos*? generis quid *ſtemmata* Jactas?
Non ſtirps ſola beat, nomen inane nihil,
Nobilis eſſe cupis? *virtutis* corde capeſſe
Greſſus, ſic *Heros* inclytus eſſe potes.

28. *Terrena vana, Lubrica.*

Omne quod errantis ſub *Lunæ* fornice conſtat,
Ut fert *Luna* vices, ſic fluit, & refluit,
Innumeris *terrena* patent ſubitiſque Perîclis
Proſterni, *tragicâ* ſtrageque ſæpe cadunt.

29. *Cœleſtia ſuper omnia petenda.*

Poſthabitis mundi tricis, *Cœleſtia Anhelans*,
Perpetuo nixu, quæ ſuper aſtra pete,
Elige *Theſaurum Chriſti* munimine tutum
Qui nullo perdi *Marte*, nec *Arte* poteſt.

30. *Memento Mori.*

Pallida *mors* properat, facie *mucore* linita,
Dextra *tela* tenens, quêis citò *Corda* ferit,
Non faſces, nec opes, non vis, nec ſana Juventus,
Tutari à *mortis* falce vorace valent.

DECALOGUS.

1. UNus ego *Deus*, ex æquo tua vota preceſque
Mi ſoli facies, ſpemque fidemque dabis.
2. Non tibi pro libitu confinges *Icona* vanam
Sacrilegus ſculptum qui colit Arte Deum.
3. Non *uſurpabis Domini* Sacra Nomina *fruſtra*
Zelotypus perdet vindice mente reum.
4. *Sabbata* ſancta Dei penitus celebrare memento,
Impia cordicitus, dictaque, facta cave. 5. Sint

5. Sint in *honore* tibi ſummo, meritoque, *parentes*,
Ut valeas longâ pace dieque frui.
6. *Occides* nullum, (*cædis* vox æthera pulſat)
Ne vel *conſilio*, [redacted] *manu*.
7. Nec *voto*, nec *ocellis*, nec *mæchabere facto*
Laſcivus *mœchus* fert ſibi damna citò.
8. In damnum alterius ne quid *furabere*, ſemper
Rectè fac aliis, ut tibi vis fieri.
9. Non ſocium lædes verbis *mendacibus* unquam
Nec de cauſa ulla, *teſtis* iniquus eris.
10. *Concupies* nunquam illicitè, quod *proximus* æquo
Jure tenet, ſeu quæ maxima, nec minima.

ORATIO DOMINICA.

O *Pater* Immenſi qui ſummus es *Incola Cœli*;
Omnis ubique *colat* populus tua Nomina diva:
Adveniat *regnumque* tuum --- Tua tota *voluntas*
Sicut apud *ſuperos*, in *terris* ſic peragatur:
Atque *diurnum panem* hodie conferre memento:
Noxia cuncta reis *ignoſcito crimina* nobis;
Prout *ſociis* noſtris culpaſque remittimus ultro:
Ne nos inducas unquam in *tentamina* dura:
Sed nos incolumes *ſerva* ne quæ mala turbent:
Nam tua ſunt ſemper, regnum, vis, laus, honor, *Amen*.

Symbolum Apoſtolorum.

IN *Numen* credo *Genitorem* Cunctipotentem
Omnia de nihilo, qui Solâ voce *creavit*,
Quæ tenet hæc *tellus*, vel quæ comprendit *Olympus*:
Credo quoque in *Chriſtum* meritis qui ſalvat iniquos:
Quem *Solum ſolus* genuit Pater ille perennis:
Qui *conceptus* erat mirè, *Spiramine* Sancto
A *Spirante* Deo; *natus* de ventre ſacrato
Virginis eſt *Maria*: paſſus ſub Judice *nequam*
Pilato: fixuſque *cruci* manibus ſceleratis
Inter damnatos (ac ſi malus ipſe) *latrones*:
His crucibus miſere laceratus, deſerit artus
Spiritus, exangue ingenti tunc *corpus* & altâ
In *tumulo* curâ poſitum; deſcendit ad uſque

In

Inferiora loca: atque die poſt funera trino
Indomitus domitæ rupto religamine *mortis*
Ad *vitam* rediit: demumque choris Comitatus
Angelicis, Cœlos petiit: *ſedemque* parentis
Ad *dextram* cæpit, *medians* pro ſontibus uſque:
Exin venturus zeloſè *Judicis æqui*
Officio fungi, *vivos* ergòque *ſepultos*:
In *numen* credo *proceſſum* à *patre* ſimulque
A *Gnato*, mirando modo, quem noſtra cerebra
Prêndere non poſſunt, ſpiſſâ caligine tecta:
Credo *Catholico* cœtu ſacroque potiri
Chriſtum, qui firmo ſunt illi *fœdere* juncti,
Atque *ſide* fidâ, capiti prout membra ligantur;
Hos credo ſanctos *communes* reddere nixus
Alternoſque piis votis, & munere cuncto,
Ut bene ſit cunctis: credo Dominumque paratum
Ingratis nobis, culpas *ignoſcere* gratis:
Credo quodque *caro* certò poſt fata *reſurget*:
Denique credo fide firmâ, poſt *tempora* præſto
Eſſe aliam *vitam*, cui nullus *terminus*: Amen.

Gratiarum Actio.

O Deus mi quot mihi non merenti
Largè & en gratis bona *dona* largus
Commodaſti tu quibus uſque vinctus
Sum tuus eſſe:
Ac tibi ſemper *famulari*, & o ſi
Afforent *linguæ* mihi *mille*, longè
Et tuas latè ut *celebrare* poſſim
Riteque *laudes*:
Gratias ſummas dare corde vellem
Et tuam famam reſonare *voce*
Dum calor cordis viget, aura vitæ
Pulſat & Artus.
Nuncque quas *vovi* celebrare laudes
Debitas, o mi *Pater alme* reddo,
Lingua dat, *mens* dat, *lyra* datque *Pſalmos*
Milleque *grates*.

Fragmina quædam ad Lacunam implendam.
Quatuor Virtutes Cardinales.
Fortitudo

Fortis, qui ſuperat *ſe*, ægroſque *libidinis* æſtros
Fortè domat, placidè *ſorte* fruique poteſt.

Ju-

Juſtitia.

Juſtus, qui cunctis ſua rectâ *lance* rependit
Cum *ſibi*, tum *ſocio*, præcipuèque *Deo*.

Temperantia.

Sobrius, Affectus rapidos qui *temperat* ultro,
Ne nimis excedat, veſte, liquore, gulâ.

Prudentia.

Prudens, ſurgentes qui *proſpicit* eminus undas,
Tutam Arcamque ſibi *providus* antè parat.

Mente, manu, labiis : ſophiam, in certa arte Deumque
Diſce, labora, ora : gnaviter, uſque, piis.

Chriſtus Salvator, Genitorem, Animas, Satanamque ;
Placat, emit, ſpoliat : ſanguine, morte, manu:

Mundum, carnem, laſcivam, Cacodæmonis hamos:
Deſpice, mortifica, providus uſque cave:

Fida fides, Amor ardens, mens pia, certus Amicus,
Exulat, extinctus, rara avis, *Utopiæ* eſt.

Corollarium de Chriſti miris, & validis virtutibus.

CUm *Chriſtus digito* pulſat præcordia divo,
In ſegmenta citò ferrea *clauſtra* terit.
Quamvis fœda, *caro*, *Satanas*, *munduſque* repugnent,
Attamen ad *ſeſe*, *corda* proterva trahit.
Et quum *flammiferam* fors deſuper exerit Artem
Suſcitat in *flammam* cor *glaciale* ſacram.
Arida corda rigans, perfuſa *rore* ſuperno
Fructus quam ſapidos perpetuoſque ferunt.
Cimmerias longè tenebras diſpellit, & imam
Irradiat mentem, *luce* supernè ſatâ.
Præfractis animis quoque fortes imprimit *ictus*,
Quêis in *mollitiem*, ſaxea corda domat.
Mens agitata malis *furiis* compeſcitur, ægros
Et mulcet *ſtimulos*, gaudia larga *creans*.
Denique divinam transformat ad *Icona* mentis
Affectus; tandem hunc fert ſuper *aſtra* virum.

FINIS.